

decidendis servire possent, tandem hæc restrictio Gratiani pro jure invaluit; uti observat Cujacius loco citato.

VII. Hinc Alexander III. seculo XII. hanc restrictionem non obscure admittit in Cap. 1. *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*, dicens: "Licet in Canonibus habeatur, ut nullus copuletur matrimonio quam prius polluerat adulterio, & illam matrem cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quæ maternata est in mortem uxoris &c.

VIII. Sed apertius subsequentes Pontifices eam admiserunt: quin & definiunt, legitimum esse Matrimonium adulteri cum adultera post mortem legitime uxoris, nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel eam vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo. Uti respondit & definiit Innocentius III. in Cap. 6. *eod.* quæ definitio & responsum pro jure hodie recepta sunt.

IX. Itaque juxta modernam disciplinam, adulterium generaliter non dirimit matrimonium cum adultera initum; sed his dumtaxat casibus.

Primo si sibi fidem dederint de contrahendo Matrimonio; vel si de facto Matrimonium initum sit, licet sciretur alter conjugum adhuc vivere; sive id contigerit ante vel post commissum adulterium; uti decidit in Cap. 1. *eod.*

X. Si autem mulier ignoraverit, adulterum junctum esse matrimonio, non prohibetur eo casu matrimonium mortuæ uxore cum eo contrahere Cap. 7. *eod.* quia non intervenit formale adulterium. Imò si de facto contractum sit matrimonium, licet nulliter ob prius Matrimonium mariti adhuc subsistens, si tamen mulier quæ hoc Matrimonium ignorabat, in secundo manere velit, vit ab ea recedere non potest. Cap. 1. *eod.* quia dignum non est, ut vir qui scienter contra Canones venerat, Incurram de suo dolo reportet.

XI. Alter casus quo non subsistit Matrimonium inter adulterum & adulteram, est, si vel maritus adulter aliquid machinatus fuerit in mortem conjugis suæ, vel mariti adulteræ, ut cum ea contrahere possit; vel adultera in mortem sui mariti, vel uxoris adulteri, Cap. 3. *eod.*

XII. Homicidium quoque dirimit Matrimonium sine adulterio, dum scilicet vir aut uxor cum tertio conspiravit in mortem suæ uxoris; quo casu si fuerit mors sequuta non poterit superstes cum tertio illo Matrimonium inire, Cap. 1. *De Conversione infidelium*; licet alter esset infidelis, & ad eam conversionem patrata esset talis occisio, & initum Matrimonium: Cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.

XIII. Impedimentum adulterii etiam junctâ machinatione in mortem mariti adulteræ esse tantum juris positivi, colligitur ex Matrimonio Davidis cum Bethsabee; illud tamen rectè inductum est, ut hoc saltem pacto hujusmodi scelera cohiberentur, dum scirent, his criminibus ad Matrimonia perveniri non posse.

XIV. Merito subinde, sed tamen casè & prudenter, populus de hoc monendus; præcipue de adulterio cum promissione; quia natum est ut frequentius usu veniat. Et generatim subinde saltem moneantur, ut si adulterium aut homicidium intervenerit, tunc inquirent an impedimentum non sit.

CAPUT VIII.

De Impedimento ex Cultus disparitate.

1. Quinam dicantur disparis cultu?
2. Rarus hodie hic impedimentum hujus usus.
3. Impedimentum hoc olim incognitum.

4. Hoc impedimentum consuetudine videtur introductum.

5. Juxta de causa Ecclesia hoc impedimentum probavit.

6. Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis apud Græcos fuerunt jam pridem invalida.

7. Ecclesia Latina ejusmodi Matrimonia non habet pro irritis.


8. Parochi à similibus Matrimoniis deterere debent ob periculum perversionis.

9. Secundo ostendere debent Parochi periculum ex istis Matrimoniis prohibere imminens.

10. Insuper quam facile pars Catholica ab Aetholica perverti possit.

11. Cur Ecclesia potius matrimonium cum non baptizato quam cum Hæretico irritum fecerit.

12. Quomodo Matrimonium Catholicorum cum Hæreticis aliquando permissis possit.

I.  Ultris disparitas hæc non accipitur ro quavis in religione disparitate; quasi disparis in cultu censerentur, qui diversam profiterentur religionem, v. g. Catholicam & Calviniticam seu Lutheranam; sed soli & omnes illi dicuntur hæc disparis cultu, quorum unus est valide baptizatus; & alter non est valide baptizatus; tamen uterque ambo profiterentur eandem Religionem Catholicam; modo unus eorum esset tantum baptizatus, alter vero adhuc esset Cathumenus; si autem uterque sit baptizatus, quantumvis disparis religionem profiterentur, nequaquam inter ipsos, juxta vulgarem & jam receptam modum loquendi est disparitas cultus.

II. Cum hodie, præsertim hæc in Regionibus pauci sint non baptizati, & pauciores qui cum baptizatis conjugia inire prætentant, rarus admodum est in hæc Regionibus hujus impedimenti usus.

III. De hoc inter omnes passim convenit, hoc impedimentum multis seculis fuisse incognitum; acque olim inter disparis cultu eo modo sumptos, constituisse verum Matrimonium; taleque fuisse Matrimonium S. Monicæ mariti S. Augustini cum Patricio viro ethnico non baptizato; quod narrat ipse Augustinus lib. 9. *Confess. cap. 9.* nec quidquam scribit, unde colligatur, Matrimonium improbatè.

IV. Hoc insuper sat communiter receptum hoc impedimentum non ali quo positivo Ecclesiæ Decreto, sed jure quodam consuetudinatio esse introductum; atque hinc deducitur, consuetudine impedimentum dirimentum induci posse; quod & exprimitur in Cap. 1. *De cognatione spirituali*; ubi respondet Alexander III. inter ceteras personas ibidem expressas conjugium iniri posse, nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ generet aliter se habeat.

V. Illud negari nequit, quin justissimus de causis Ecclesiæ hoc impedimentum receperit; temperque visum esse, hujusmodi conjugia multis incommodis tolerare esse obnoxia; quæ fuse & eleganter jam pridem descripsit Tertullianus lib. 2. *Ad Uxorem cap. 2.*

VI. Quo ad Matrimonia Baptizatorum una partium est Catholica altera vero hæretica, apud Græcos jam pridem invalida fuisse videntur juxta Canonem 72. Trullanum, quo decernitur: "Non licere virum orthodoxum, cum muliere hæretica conjugii, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari: sed & si quid ejusmodi à quopiam factum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium conjugium dissolvere. Neque enim ea quæ non sunt miscenda misceri, nec ovem cum lupulo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjugii oportet.

Hæc conjugia invalida hæc declarari notant Balsamon & Zonaras in notis ad hunc Canonem: "Nam qui simul ita vivunt (ait Zonaras) ut eorum animi

in iis quæ ad fidem pertinent, contrario modo affecti sint, quo pacto eos in aliis rebus convenire posse, quispiam arbitretur? Quorumque sensus, in iis quæ sunt fidei, quorum prima est atque præcipua ratio, minime congruant, quo pacto inter se æquis animis in reliqua vitæ societate communicabunt.

VII. Quævis Ecclesia Latina nullum impedimentum saltem dicimus hæc non statuerit, quod Matrimonium Catholici cum hæretica irriteretur nihilominus jam pridem ob plura ex similibus Matrimoniis sequi nata incommoda ea improbat, & hodie improbat; ac novissimè conformiter ad mentem Ecclesiæ Episcopus Castoriensis per Provincias confederatas Vicarius Apostolicus hoc edidit Decretum: "Prohibemus sub pena suspensionis ab officio Missionis omnibus Missionariis, ne quis personas quarum altera est Aetholica, nobis inconsultis & sine speciali nostro consensu præsumat conjugere.

VIII. Deinde in eodem Decreto sive Constitutionibus additur: "Sæpe deterreat Pastores alique Missionarii plebem Catholicam ne conjugii jugum ducant cum infidelibus, ne cum illis velint unum corpus fieri cum quibus non possunt fieri unus spiritus.

Motiva quibus Parochi fideles à similibus Matrimoniis deducant, desumpti imprimis possunt ex periculo perversionis, non tantum prolibus; sed & nepotibus & pronepotibus subinde in multas generationes imminente ex hujusmodi Matrimonio cum persona Aetholica.

IX. Et quidem advertendum, periculum prolibus imminens non satis præcaverit per juramentum & promissiones conjugii hæretici siquidem Ministri Aetholici facile dicturi sunt istiusmodi juramenta non esse tantum non servanda; sed & servari illicitè. Accedit non leve periculum hæreticæ educationis prolibus imminens, etiam vivente parente Catholico, seu à blanditiis matris hæreticæ, seu à misis Patris hæretici, potissimum in locis, ubi penes Aetholicos est suprema potestas. Et quod semper adest, exemplum parentis hæretici, nec non quotidiana de hæresi colloquia, & de fide quæstiones & contentiones, quæ nata sunt, si non extinguere, saltem imminuere fidem Catholicam, ipsaque proles in fide Catholica vacillantes & flaccidas reddere.

X. Ostendi insuper potest, non infrequenter etiã parti Catholicæ perversionis periculum imminere; eo quod tam arcta conjunctio, qualis est Matrimonialis, solet mores partis hæreticæ facile derivare in partem Catholicam; atque sensim parte Catholica ex naturali erga compartem affectu, & morum imitatione non nihil excæcata, incipiat hæresis ipsi minus horrida apparere: sicque minus ab hæresi abhorere; & tandem ut comparti placeat, eam amplecti: præsertim quod qui hujusmodi matrimonia ineunt non soleant ab hæresi esse tantopere alieni: quia si multum eam exhorruissent, nonuissent tam arcto vinculo personæ hæreticæ jungi.

XI. Plura alia motiva ex incommodis & insauktis similibus matrimoniis effectibus desumenda facile Parochis, præcipue in Provinciis ubi frequentiora esse consueverunt talia matrimonia, per quotidianam experientiam occurrent; nec dubium quin reperient, non raro ex matrimoniis personæ Catholicæ cum Aetholica eadem incommoda oriri, quæ suo tempore matrimonia Fidelis cum Infideli secum trahere dixit Tertullianus loco supra allegato: potius tamen Ecclesia induxit, aut induci passa est impedimentum dirimens matrimonium Fidelis cum Infideli, seu baptizati cum non baptizata, quam Catholici cum Hæreticis: eo quod facilius sciri queat quis non sit baptizatus; quam quis dicendus ac reputandus sit Hæreticus.


XII. Ad hæc, licet incommoda, quæ Matrimonium Catholici cum Hæreticis comitari solent, non evincant simile Matrimonium, semper jure naturæ esse illicitum; Van Espen Jur. Eccl. P. II.

eo quod queant esse circumstantiæ, quæ sperari faciunt tanta bona ex simili Matrimonio; aut hujusmodi necessitas concurrat, ut prævaleant incommodis quæ temeretur, nihilominus hoc concludunt, similia Matrimonia ut plurimum etiam jure naturali esse illicita; prudenterque positivo Decreto inferioribus Parochis seu Missionariis esse interdictum, ne istiusmodi Matrimoniis assint; nisi prius Episcopus consenserit.

CAPUT IX.

De Metu.

1. Quid Metus; & an caset involuntarium.
2. Quâ ratione in actione ex metu interveniat involuntarium?
3. Quis sit metus cadens in virum constantem?
4. Quis dicendus metus levis?
5. Metus levis non est facile attendendus.
6. Quid considerandum in metu?
7. Quis censendus sit hic & nunc metus gravis à iudice determinandum: & unde?
8. Qualiter iudex hic procedere debeat?
9. Metus gravis reddit Matrimonium nullum.
10. Impedimentum hoc potius juri naturali, quam positivo adscribendum.
11. An metus de te levis aliquando irritet Matrimonium?
12. In his Provinciis non facile ob præsumum metum Matrimonia invalida declaranda: & quare?
13. Quid Parochi agendum si metum subesse suspicerent.
14. Metus gravis voluntarius in causa non dirimit Matrimonium.
15. Debet esse incusus ad Matrimonium contrahendum.
16. Non refert à quo fuerit incusus.

I.  Etus est, inquit Juris-Consultus in l. i. ff. Quod metus causa gestum est, instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

Metus concausat absolute involuntarium; quia qui ex metu aliquid agit, voluntarie id agit, ut illud quod metuit evadat. Exempli gratiã qui ex navi ejicit merces ob periculum naufragii, voluntarie eligit ejectionem mercium, ut evitet imminens naufragium, ipsamque ejectionem mercium præeligit potius, quam sustinere periculum naufragii; eamque electionem voluntarie facit; id est, cum plena advertentia rationis, ac deliberatione voluntatis.

II. Advertendum tamen, quod is qui metu adactus aliquid agit, licet id voluntarie agat; ideoque coacta voluntas sit, uti loquuntur jurisconsulti, nihilominus & illud certum est, in actione metu elicitâ intervenire quoddam involuntarium contrarium libertati.

Qui enim ob instans aut prævisum aliquod malum sibi imminens quidquam agit, non facturus nisi illud malum immineret, non omnino liberè, sed ab imminenti illo malo quasi adactus hoc præ alio eligit.

III. Et quidem si malum imminens sit hujusmodi ut hominem alioquin prudentem & in rebus agendis non levem moveret, ut faceret istud quod aliàs non fecisset si periculum illius mali non adfuisset, dicitur is egisse ex metu gravi seu prudenti; dicitur is metus vulgo metus cadens in virum constantem in Cap. 4. *De his quæ vi metusve causa*, & Cap. 1 §. & 28. *De Sponsalibus*.

IV. Si verò malum imminens sit adeò leve aut periculū illius ita remotum, aut tam parū verisimile; ut nullum virum prudentem & constantem moveret ad faciendū, quod factum est, dicitur id factum ex metu levi & vano; neque jura illius rationem haberi voluerunt.

V. Unde scribit Juris-Consultus in *L. 6. ff. Quod vi metusque causa gestum erit*: "Metum autem non vani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadit, ad hoc Edictum pertinere dicimus." Edictum nimirum Prætoris de quo in *lib. 1. ff. eod. Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo*. Deinde eodem fundamento dicitur in *L. 7. ff. eod.* "Proinde si quis meticolosus rem nullam frustra timuerit, per hoc edictum non restituitur: quoniam neque vi, neque metus causa gestum est."

Similiter in citato *Cap. 28.* respondet Pontifex: "De illato metu est cum diligentia inquirendum, & si talis metus invenitur illatus, qui potuit cadere in constantem virum, erunt non immerito audiendæ." Sat inveniunt, ob metum levem & vanum neminem audiendum.

VI. Itaque rectè ait Covarruvias de Matrimonio *parte 2. §. 4. n. 5.* "Virum interpretor prudentem, qui sciat eligere minus malum ob majoris mali periculum evitandum."

Hinc infert *n. 6.* "Non esse metum cadentem in virum constantem, nec excusare, si quis etiam ad evitandam mortem eligeret peccare mortaliter: imprudens enim esset omnino, qui mallet mortaliter peccare, quam mortem ipsam corporis subire."

Inde ulterius patet, metum aliquem posse de se ac simpliciter consideratum esse *metum gravem* & qui moveret virum prudentem si comparatur ad unam actionem, & tamen non esse talem comparatum ad aliam actionem.

Quis enim ambigat, quin metus imminentis mortis sit metus qui merito moveret virum prudentem ad eligendam amissionem notabilis summe pecunie; qui tamen non sit sufficiens, ut eundem moveat ad peccandum mortaliter.

VII. Similiter & personarum sexum, conditionem, aliaque circumstantias expendendas esse, ut judicetur an hic & nunc fuerit metus gravis, an levis dubium non est: atque communiter tradunt Canonistæ post Glossam in *Cap. cum dilectus* de *ius que vi metusque causa*, arbitrio iudicis relinquendum esse, quinam metus dicatur cadere in constantem virum. "Judex enim (ait Covarruvias *num. 15.*) ut ipse intelligo, arbitrabitur, an vir prudens & constans eligeret potius id agere, quod timoris causa sit, quam periculum quod immineret subire."

VIII. Ex quo dein *num. 16.* infert: "Judex arbitrio proprio decernere debet, non ita anxie, atque stricte hanc eligendi prudentiam exigendam esse in feminis, quibus à natura inest minor animi vigor, corporis, etque fortitudo: sed considerandum esse, quid feminina constans eligeret pensata naturali femininarum prudentia. Aliquid enim coereret feminam, etiam constantem, ad eligendum id, quod vit constans minime eligeret."

IX. His præmissis, indubitatum est, metum gravem seu cadentem in *virum constantem* non tantum contractum Matrimoniale subicere legi rescissionis, sive metu adactum contractum Matrimoniale officio iudicis rescindi petere posse; quemadmodum in aliis contractibus metu initis jura statuunt; sed ipsum Matrimonium dirimere, sive Matrimonium ex simili metu initum esse nullum; uti aperte supponit ut in *Cap. 15 & 28. de Sponsalibus, & Cap. 2. de eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium*. Ratio indicatur in *Cap. 17. de Sponsalibus*, cum libera debeant esse Matrimonia, & coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere.

X. Illud hic notandum, Pontifices in citatis Decretalibus non inducere impedimentum *dirimens*; sed resolvere simpliciter, Matrimonia per metum inita esse *invalida*; adeoque impedimentum illud supponere. Et re-

vera cum contractus Matrimonialis sit præ cæteris contractibus mutui amoris & dilectionis conjunctio, etiam præ cæteris exigit quamdam libertatem, atque omnem coactionem abhorret: præsertim quia semel validus & perfectus quamdam habet indissolubilitatem; neque admittit aliorum contractuum rescindi facile potest: ut proinde merito hoc impedimentum non solum juri positivo, sed naturali adscribendum sit.

XI. Porro quamvis metus de se *levis*, neque aptus ut virum aut etiam mulierem prudentem ad eligendum matrimonium moveret, queat subinde in aliqua persona meticolosa causare involuntarium, seu libertatem adimere, hujus tamen rationem Ecclesia habere non solet; ne alias passim *invalida* prætendi possent Matrimonia; & quia "non facile Ecclesia, que non judicat de occultis, præsumit, aut probatum habet spontaneum consentum defuisse ex levisculo metu, quamvis à parte rei aliud sit;" ait Zypæus *Consult. 1. de iis que vi vel metu*: qui addit: "quando tamen revera ex iudicio viri prudentis constaret, levem licet causam, verè tamen gravem metum inculsibile, tantumque ut spontaneum consentum defuisse demonstraret; non dubitem matrimonium pro irritato haberi: quia certè nihil interest quo metu quis compulsus sit, dum constat compulsum esse."

XII. Non facile tamen judicandum est, ob levem metum consentum spontaneum & sufficientem debuisse; neque, præsertim hisce in Regionibus, facile Matrimonium ob metum præsentem *nullum* declarandum; cum juxta Ritualia non antea conjungendi sint, quam interrogati à Parocho, an venerint ad contrahendum suâ voluntate, & à nullo coacti, responderint affirmative.

XIII. Si tamen Parocho suspicio suboritur quod metus ab alterutra parte subelset, poterit non tantum in ipso actu conjunctionis, modo prædicto interrogandos sed vel maxime præviè id examinare; puta dum uterque examinatur seorsum, an sciat scitu necessaria; aut aliâ occasione, quæ Parocho convenientior videbitur.

Hanc inquisitionem commendat Synodus P.I. Mechliniensis titulo De Sponsalibus *cap. 2.* his verbis: "Quia coactæ nuptiæ tristem plerumque & luctuosum habent exitum, diligenter inquirent Pastores, an Matrimonium contracturi sponte & animo deliberato, non vi aut metu parentum, amicorum aut aliorum coacti ad Matrimonium procedant. Quod si in venerint, aliquem vel aliquam ex contrahentibus coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant; neque alteri vices suas committant, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio."

XIV. Metum gravem dirimere Matrimonium, quia impedit spontaneum ac liberum consentum supra notavimus; unde si ipse causam metus voluntariè posuerint; ita ut metus proveniat ex *causa* ab ipso metu patiente voluntariè posita, metus *justi* ob illam causam inculsus Matrimonium non irritabit. Exempli gratia, si iudex carcerem aliamve pœnam minetur juveni ut contrahat cum puella quam sub promissione Matrimonii supravit; & ipse juvenis ex metu coactæ pœnæ Matrimonium contrahat cum illa, aliàs non contracturus, Matrimonium erit validum; quia voluntariè, quod fuit in ponendo actu, qui coactæ pœnæ & metui causam dedit, supplet si quid forsitan modò circa voluntariè in contractu Matrimoniali deesset.

XV. Ad hæc requiritur ut metus sit inculsus in finem Matrimonii seu consensus extorquendi: aliter enim vis directæ non fit huic contractui: v. g. si quis metu inferni, vel mortis aliunde imminens aliquam ducit; (vel ut sæpe fit) metu incontinentiæ, paupertatis &c. validum est Matrimonium.

XVI. Illud

XVI. Illud autem non refert à quo inferatur, an ab altero contrahentium; an à tertio v. g. à parentibus, modò iniuste & directe ad extorquendum Matrimonium, eò quod & per modum taliter inculsum revera spontaneus consensus impediatur; quod aperte supponit prædictum Decretum Synodi Mechliniensis.

CAPUT X.

De Impedimento Raptus.

1. Plures pœna per leges Romanas contra Raptorem.
2. Etiam in Belgio.
3. Ex lege Justiniani Raptus videtur fuisse impedimentum perpetuum.
4. Id ipsum indicant Capitularia Regum Francorum.
5. Videtur quod olim nunquam licitum aut validum fuerit inter Raptorem & Raptam.
6. Aliquando relaxatum fuit hoc impedimentum.
7. Quid statuerit circa hoc impedimentum Synodus Tridentina.
8. Quâ ratione dicatur per Synodum Trid. inductum novum impedimentum.
9. In quibus Decretum Tridentinum discordet à præstina disciplina.
10. Quâ sint pœna contra Raptum ex Decreto Concilii Tridentini.
11. In quibus hæc pœna locum habeant.
12. Synodus Trid. videtur loqui de Raptu qui violentiam adiunctam habet.
13. In Gallia etiam attenditur raptus seductionis sine violentia.
14. Hic Raptus frequentior est quando Matrimonium dirimat?



Uam graves acerbaque pœnæ olim per leges Imperiales contra raptum decretae fuerint, videri potest in legibus Constantini M. ejusque filii Constantii, nec non Gratiani, quæ referuntur in Codice Theodosiano *lib. 9. tit. 24. De Raptu Virginitatis vel Viduarum*; nec non in *L. Unica Cod. Justin. eod. tit.* quas passim interpretes ac signantes Gothofredus, ad citatum titulum Codicis Theodosiani latè explicant; notatque speciatim Gothofredus, quod Constantinus M. ut omnis via obstrueretur ad hoc crimen committendum, neque Raptæ consensu, neque parentum ratihabitione, patientiæ, silentio hoc crimen elui voluerit; aut raptum hoc patrocinio sustineri, Raptoremque denique ea spe sibi blandiri.

II. Hic in Belgio olim gravissimis pœnis quoque raptus puniebatur; uti ex antiquis Principum nostrorum tabulis cognosci potest, quas recitat Zypæus ad titulum De Sponsalibus *num. 25.*

III. Sed quod ad præsentem materiam, nimirum impedimenti Matrimonii, propriè accedit, Justinianus in citata *Legè unica* decrevit: "Nec sit facultas raptæ virginitatis vel viduæ vel cuilibet mulieri *raptorem* in suum sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint (excepto *raptore*) eam legitime copulente matrimonio: quoniam nullo modo, nulloque tempore datur à nostra Serenitate licentia eis consentire. qui hostili more in nostra republica matrimonia student sibi conjugere. Oportet etenim ut quicumque uxorem ducere voluerit, sive ingenuam sive libertinam, secundum nostras leges, & antiquam consuetudinem; parentes vel alios quos decet petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium."

Quin ibidem Justinianus voluerit esse impedimentum *perpetuum*, nullo quantumvis spontaneo consensu ipsius

raptæ abolendum, inter raptorem & raptam, evidens est.

IV. Ipsa quoque Regum Francorum Capitularia id ipsum indicant. Legitur enim *lib. 6. c. 69.* "Si quis alterius sponsam virginem aut viduam necdum desponsatam, raverit vel furatus fuerit, placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipsam accipere, vel tenere poterit, nunquam illam uxorem habeat; sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit, nuptura legibusque acceptura reddatur."

Et *Lib. 7. c. 395.* "Placuit ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint." Extat apud Gratianum *Caus. 36. q. 2. Can. 1.* sed sub nomine Concilii Aquisgranensis; notantque Correctores Romani id ipsum Decretum inveniri in Concilio Remensi Trosleiano *cap. 8.*

In Synodo Regiatica sive Ticinensi anno 850. c. 10. decernitur, quod puellæ ipsi à quibus raptæ sunt, legiti- timæ demum uxores nullatenus esse possunt.

V. Ex his aliisque nonnullis Canonibus seculi septimo & sequentibus editis, credunt nonnulli, raptum fuisse saltem in quibusdam Ecclesiis impedimentum dirimens perpetuum inter raptorem & raptam; ad eò ut nec pet spontaneum consentum raptæ, tamen à rapta in loco tuto & extra potestatem raptoris constituta præstitus fuisset.

VI. Quidquid sit, illud constat, seculo undecimo & sequentibus impedimentum hoc relaxatum fuisse; atque Matrimonium inter raptorem & raptam validum reputatum, modò consensus raptæ intervenisset; responditque conformiter ad hanc disciplinam Innocentius III. in *Cap. 7. de Raptoribus*: "Rapta puella legitime contrahet, cum raptore, si prior dissentio transeat postmodum in consensum; & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere."

VII. Synodus Tridentina expendens quàm parùm fidentium sit consensui quem puella quamdiu est in potestate raptoris præfert, decernit *Sess. 24. c. 6. De Reformat. Matrimonii*, Inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium.

VIII. Itaque juxta hoc Decretum subsistit impedimentum dirimens inter raptorem & raptam, quamdiu hæc manet in potestate raptoris, ut quamvis eo tempore puella reverà consentiret in Matrimonium cum raptore, nihilominus Matrimonium sic contractum esset *nullum*; licet Jure Decretalium fuisset validum; atque hoc ex capite dicitur à Synodo Tridentina novum impedimentum dirimens hic inductum.

IX. Quod verò permittit Synodus Tridentina, si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; eatenus à *Legè Justinianæ* & Canonibus supra relatis recedit; à quibus jam tempore Synodi recessum erant.

X. Addit quoque Synodus pœnas; ut nimirum raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant, Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

XI. Tridentina Synodus hic dumtaxat loqui videtur de raptu in ordine ad Matrimonium contrahendum, ut fufius probat Sanchez *lib. 7. De Matrimonio Disp. 13. n. 4.* hoc unà monens *n. 10.* "His pœnis locum esse, quamvis rapta causâ Matrimonii non sit perducta ad locum destinatum, sed in ipso itinere respiscat. Quod deli-